



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 37. Galli in Corsicam a Genuensibus evocati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.

§. XXXVII.

*Galli in Corsicam a Genuensibus
evocati.*

Interim, cum Genuenses propriis suis armis Corsorum pervicaciam frangere desperarent, Ludovicum XV. Galliarum Regem supplices adibant, ut validas eisdem militum suppetias submittere vellet: Nec eorum votis defuit Rex, qui etiam Comitem de Boissieux cum sex cohortibus Gallicis in Corsicam decrevit, ut vel pacem suaderet, vel obsequium armata vi extorqueret. Verum hic ad molliendas mentes pertinaciter invitas minus idonea adhibuit media; nam, quin prius Curiarum, & Coryphæorum, quos Corsi *Patrum* nomine honorant, sententiam ac consensum exquireret, quosdam pacificationis articulos eis proposuit, hoc addito, quod citra Alpes morantibus nonnisi quindecim dierum, ultra montes vero degentibus trium septimanarum inducias ad deliberandum indulgeret, evoluta autem hoc temporis spatio, si Regis Christianissimi voluntati essent repugnaturi, non jam pro amicis sed hostibus habendi essent. Propositi autem Reconciliationis articuli erant sequentes.

I. Re

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.

I. Revocata exilii & triremium
pœna rebellibus debita, omnibus ple-
na præteritorum oblivio concedatur,
cunctisque hæc concordie pacta fir-
mantibus omnia bona & honores re-
stituantur.

II. Omnes, indicto mortis suppli-
cio, arma deponant.

III. Exactiones & tributa durante
hoc tumultu nondum soluta remittan-
tur, & nova nonnisi a prima Octobris
die anni prioris exigantur.

IV. Supremo Insulæ Commissario
haud amplius (uti hactenus) quosdam
ad triemes damnare, integrum sit,
sed in Reos acta instruere, eosque Ge-
nuam mittere liceat.

V. Supremum tribunal in Corsica
ex tribus exteris constet: subalterni
tamen Judices natione Corsi sint, qui
in caussis quingentas libras non exce-
dentibus, rejecta omni appellatione,
jus dicant.

VI. Pro Corfa juventute erigantur
Collegia & Scholæ, ut ex illis Corsi
æque ac Genuenses ad Episcopatus pro-
moveri queant: quocirca Respublica
polliceatur, quod vacante Episcopo Cor-
fos summo Pontifici præsentatura sit.

VII. Pariter Genuensis Respublica
promittat, quod per quinquennium
quolibet anno quatuor Corsicanas fa-
mi-

Sæc. XVIII milias Genuensi Nobilitati adscribere,
 A. C. 1739. easque omnium prærogativarum par-
 ticipes facere velit.

VIII. Sicarii capitali pœna plectan-
 tur, pollicente Republica, quod eis
 nec veniam nec asylum concessura sit.

IX. Denique, de horum pactorum
 executione tam Cæsar, quam Franciæ
 Rex caveant.

Verum Corsi insuperhabitis Papæ
 monitis, & Gallorum minis, huic con-
 ventioni surdas præbebant aures; Theo-
 dorus enim personatus eorum Rex non
 ita pridem cum novo armorum appa-
 ratu rursus in Insulam appulsus erat,
 qui hosce rebelles identidem hortaba-
 tur, ne Gallorum cantus audiant, sed
 suo Regi semper fidi persistant: nihilo-
 minus Comes de Boiffieux præfatas
 reconciliationis leges per tubicinem ad
 omnes Corsorum Urbes & pagos emis-
 sum promulgari curavit: Vix tamen
 hic ad paucas Urbes progressus erat,
 cum illico a rebellionis Primoribus suas
 literas tradere juberetur; hac enim via
 Corsis quicquam insinuare insolitum
 esse causabantur, potius ergo servata
 patriæ consuetudine ac jure rem Senio-
 ribus esse proponendam. Hæc oppo-
 sitio Gallis plane erat inexpectata;
 sparso tamen, incerto licet rumore,
 Theodorum denuo clam excessisse, haud
 dubie

dubie sperabant, Corsos opis ac con-
 filii inopes facile in propositas reconci-
 liationis leges descensuros: Eapropter
 ad ponenda arma & acceptanda hæc
 pacta rursus sollicitantur, eisque inter-
 minata mortis pœna, & summa Regis
 indignatione injungitur, ut Theodo-
 rum, quocunque in loco deprehende-
 retur, captum, ejusque adhærentes
 exteros Gallis traderent: Duræ nimis
 hæ conditiones videbantur Corsis; hi
 tamen, qui citra alpes habitabant,
 pejora veriti, positis armis sese quidem
 Gallorum voluntati submittebant, a
 fociis vero suis propterea tam indigne
 habebantur, ut pro sua securitate præsi-
 diarios milites sibi submitti rogarent.
 Eapropter Comes Boissieux cum nu-
 merofo milite ad Balagnam Provinciam
 contendit, ut illius incolas, quorum
 potissimi sese Gallorum imperio subje-
 cerant, adversus seditiosos monticolas
 tueretur, simulque Bigugliam arcem
 decimo lapide Bastia disitam præsidio
 firmaret. Adventanti autem ingens
 rebellium agmen ductoribus Castaneta
 & Hyacintho Paulio occurrit, transitum-
 que denegat: instant Galli, vim admo-
 vent; conferuntur manus, & multis
 utrinque cæsis ac vulneratis Galli Cie-
 nuensibus permixti retrocedere co-
 guntur: Validiores submittantur copię,
 qui-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1739.

Sæc. XVIII. quibus injunctum, ut quoscunque re-
 A. C. 1739. sistere ausos, sine discrimine trajice-
 rent, nisi rebelles mox arma ponant,
 & propositæ pacificationi accedant.
 His tamen Corsi minime territi majori
 numero confluunt, simulque declarant,
 malle se extrema quæque pati, imo
 etsi a Christianis derelinquerentur,
 potius Turcarum, quam Genuensium
 imperio subesse: Interea Bastiæ nun-
 tiatum est, quod Theodorus cum suis
 Neapoli appulsus, ad Hollandi Consu-
 lis ædes diverterit, inde vero sollici-
 tantibus Gallis raptatus, captusque,
 demum die secunda Decembris Caietæ
 in carcerem quidem datus sit, die ta-
 men decima quarta ejusdem Mensis
 noctu e custodia dimissus, equitumque
 centuria stipatus, Terracinam deductus
 fuerit, ibidemque a quadraginta Corsis
 Belliductoribus lætanter exceptus, con-
 scensa navi in altum vela fecerit: Hu-
 jus eventus fama per universam Insu-
 lam divulgata, Corsorum potissimi a-
 nimo concidere videbantur, utpote
 quos non jam promissa auxilia tantum,
 sed omnis prorsus expectatio melio-
 rum, ipsumque consilium defecerat:
 Accessit insuper ad angoris augmentum
 Comitis Boissieux (*) obitus, in cujus
 locum

(*) Hic anno priori ob diuturnam infirmita-
 tem ex Corsica a Rege revocari obtinuit, hoc-
 que anno die secunda Februarii decessit.

locum Corsis inauspicato fato successit Marchio de Mallebois, Vir longa militia efferatus, & obstinatis parcere nefcius. Hic ergo recenti milite auctus, obsequium, quod Corsi per inveteratam pertinaciam præstare renuebant, per obfirmatam armorum violentiam extorquere aggressus est, & post iteratas pugnas plerumque Gallis faustas Corsos ita concidit, ut Paulius & Ludovicus Giasserius & paulopost Ornanus (nobiliora rebellium capita) cum multis Corsis sese submitterent, ex Insula tamen emigrare iussi. Pariter Rivarolæ Comitissæ Soror, quæ Theodoro ficto Regi Coniux erat destinata, Mallebosii jussu in Corsica custodiæ data fuit: alii vero pertinaciores a Gallis capti laqueo vitam finierunt.

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.

§. XXXVIII.

Variae Clementis XIII. Papæ decisiones & decreta.

Quamvis Clemens XII. Pontifex maximus, senio, laboribus, & morbis indeque viribus exhaustus ad momenta æternitatis viam ingredi videretur, miro tamen animi vigore, & Zelo Apostolico indies novis incrementis aucto Pastoralem suam sollicitudinem hoc item anno ad Ecclesiæ negotia